

aut si autem obligentur, jam impeditur mutua traditio corporum.

20. R. 4. Condiciones de preterito, vel presenti, quæ ex materia sua videntur adversari matrimonio, non vitiant ejus valorem, v. g. si fecerit tibi procuratorem, si es ligata voto castitatis &c. nam nec sunt veræ conditiones, nec inferunt obligationem futuram bonis matrimonii contrariam, sed præcise indicant factum præsens, aut præteritum, a quo per se valor matrimonii non pendet.

21. R. 5. Condicio contraria substantiæ matrimonii adjecta sponsalibus, si implenda differtur in tempus matrimonii, vitiat illud, & sponsalia; quia perinde est, ac si matrimonio apponeretur, v. g. *ducante, si in matrimonio generationem prolis evitaveris &c.* Similiter conditio adversa bono prolis, licet implenda sit ante matrimonium, vitiat sponsalia, & matrimonium, v. g. *ducam te, si veneno tibi sterilitatem procuraveris*: nam conditio ista porrigitur ad statum matrimonii, & bono prolis adversatur. At si conditio ante matrimonium implenda adversetur tantum fidei, vel inseparabilitati, non vitiat sponsalia, v. g. *ducam, te, si mihi dederis usum corporis, vel donec pulchriorem sponfam intenero*: nam talis conditio implenda ante matrimonium, hujus bono non adversatur.

22. Q. VI. *Quæ sint conditionibus affirmata, & quid operentur in dispensationibus*: R. 1. *Modus, causa, & demonstratio*. Modus est adjectio oneris post contractum ferendi, & exprimitur per particulam *in*, v. g. *duco te, ut mecum pilorum exerceas*. *Causa* est expressio ejus, ob quod contrahitur, & exprimitur per particulam *quia*, v. g. *quia nobilis es, duco te*. *Demonstratio* est expressio ejus, per quod significatur persona & exprimitur per relativum *qui* &c. v. g. *duco te, quæ es libera, nobilis &c.*

23. R. 2. Modus, causa, & demonstratio per se non suspendunt, vel vitiant matrimonium: ita in re com. nam modus obligationem præsupponit, eique solum onus adjicit, l. 1. & seq. C. de donat. sub modo; si modus sit impossibilis, aut turpis, vel contrarius substantiæ matrimonii, habetur pro non adjecto, quia nulla est obligatio ad impossibile, & turpe, vel contrarium matrimonio jam in se contracto. *Causa, & demonstratio* non spectant ad vim matrimonii, sed tantum declarant opinionem, quam contrahens habet de altero, & quoddam motivum ad contrahendum alliciens insinuant. Unde tritum illud: *falsa demonstratio non vitiat actum* ex l. 35. ff. de condit. & demonstrat. Dixi: per se, nam per accidens vitari potest matrimonium, vel ejus valor suspendi: 1. Si modus induat naturam conditionis, ita ut contrahens nolit valere contractum, nisi existat modus, quod ex mente contrahentium colligendum erit. 2. Si causa, vel demonstratio involvat errorem substantialem personæ, vel status, seu servitutis, vel induat naturam conditionis, v. g. *contraho tecum, quæ es Berta, libera*; nam si est Cajo, vel ancilla, nullus est contractus, nisi error esset in solo nomine. Item *duco te, quia mille pro dote dabis*, hoc est, si mille pro dote dederis.

24. Q. VII. *An licitum sit matrimonium cum patre, seu modo morganaticum? Ante respons.* nota matrimonium morganaticum, seu conscientia definitur, quod sit conjunctio viri cum femina inferioris conditionis secundum SS. Canones rata: eo tamen pacto, ut uxor, & liberi contenti sint certa portione nuptiali, & a ceteris bonis avitis, & paternis, dignitatibus, titulis, ac insignibus abstineant: portio ista alende uxori & liberis destinata, vocatur *morganatica*, quasi donum matrimonium, & corrupte *morganatica*; ex quo nomen trahit matrimonium morganaticum, seu ad morganaticam contractum, lib. 2. Feud. tit. 29. Jam R. Matrimonium ad morganaticam contractum, & validum est, & licitum: ita König, Schmalz & alii. *Ratio primi*, quia tale matrimonium per se nec est contra jus naturale, nec pontificum; ergo si fiat coram parochio, & testibus, erit validum. *Ratio secunda*, quia pactum illud, vi cuius uxor cum futuris liberis non sequitur conditionem mariti, ex multis causis cohonestari potest; puta, quia maritus ex una parte vult esse extra periculum incontinentiæ; ex altera vero parte non vult præjudicare liberis prioris matrimonii per divisionem bonorum, quæ pluribus non sufficerent; & si minutim

dividerentur, splendor familiæ deficeret; *Confr.* Matrimonium ad morganaticam contractum imitatur matrimonium Patriarcharum, quæ contraxerunt cum concubinis, seu secundariis uxoriis, quarum filii non succedebant patri, ut patet in matrimonio Abrahæ cum Agar ancilla, cujus filius Ismael ejectionis est a possessione, & hereditate Gen. 21. v. 10. ergo sicut ista matrimonia erant licita, ita quoque licita sunt matrimonia ad morganaticam contracta. Ceterum, si pater, mutatis circumstantiis, vult revocare pactum morganaticum, id ei licet, non obstante aliquo præjudicio priorum liberorum: nam tale pactum imitatur ultimum voluntatem de successione dispositentem, quæ semper revocabilis est. Item liberi ex matrimonio morganatico nati admittuntur ad successionem in bonis allodialibus, si priores liberi, eorumque descendentes deficiant, exceptis feudis, in quibus non succedunt lib. 2. F. tit. 29. His non obstant *Can. 1. & 12. caus. 32. q. 2. & Can. 9. dicat. 33. q. 4. & c. fin. h. t.* nam non loquuntur de nostro casu.

Vide addita post n. 9. pag. 331. &c.
Quæ hic dicta sunt de conditionibus, modo, causa, & demonstratio, proportionaliter applicanda sunt aliis contractibus. Hodie vero curabit parochus, ut matrimonia pure contrahantur, nihilque eis admisceatur sine causa urgentissima.

TITULUS VI.

Qui Clerici, vel Voventes matrimonium contrahere possint?

Agitur de hac materia in Sexto tit. de voto. In Decreto dist. 27. c. 30. & seq. & 17. q. 1. 2. & 27. q. 1. per tot. In Trid. S. 24. Can. 9.

In hoc titulo examinantur tria impedimenta, duo dirimentia, scil. Ordo sacer, & professio religiosa; & unum tantum impediens, scil. votum simplex castitatis.

1. Q. I. *An, & quo jure Ordo sacer dirimat matrimonium*: R. 1. Dirimit, sed solo jure Eccles. *Prima pars* habetur *Can. 8. d. 27. c. 1. de Cler. conjugat. c. un. de voto in 6. Trid. S. 24. Can. 9.* nam factis Ordinibus annexa est continentia, seu votum sollemne castitatis, quod obstat valori matrimonii. *Secunda pars*: est comm. cum S. D. 2. q. 88. ar. 11. contra Major. stantem pro jure divino: nam Ordo sacer non dirimit matrimonium contrahendum jure naturali, quia matrimonium absolute non contrariatur ministerii clericalibus, ut patet in Ecclesia orientali; neque jure divino positivo, quia hoc non constat ex verbo divino scripto, aut traditio, ergo jure Ecclesiastico antiquo, & ab Apostolis constituto *Can. 40. ut lex 27. q. 1. Vis autem solvendi matrimonium ratum non competit Ordini sacro, ut definitur c. un. de voto in 6. & Extrav. un. Jo. XXII. de Voto.*

2. R. 2. Ordinatus invalide, non obligatur voto continentiæ: non sollemni, quia hoc annexum est valide ordinationi; non simpliciter, quia votum accessorie emittitur; ergo corruente Ordine, tanquam principali, corruit votum, tanquam accessorium. Nec obstat c. 3. & 12. de convers. conjugat. nam in professione religiosa votum castitatis per se, & principaliter emittitur; ergo ex juris interpretatione, & non valet, ut sollemne, valet saltem ut simplex.

3. R. 3. Ordo sacer collatus infanti non dirimit matrimonium, quia non est credibile, quod Ecclesia infantem ligare voluerit lege continentiæ, nisi ad usum rationis pervenisset expresse, vel tacite, exercendo actum Ordinis sacri, ratificasset suam ordinationem. At impubes ratione pollens, sicut in ordinatione valide potest emittere votum castitatis, ita quoque obligatur ad continentiam; ut & metu ordinatus, licet pro illo ex causa imaturi iudicii, & pro isto ex causa meus in causa incussi, facile obtineri possit dispensatio in voto continentiæ. Opposita sententia docens nec impubere, nec metu coactum obligari ad continentiam, non videtur improbabilis. Si vero ordinatio facta est per vim absolutam, non valet, & conf. ex illa non ortitur obligatio continentiæ, c. 3. de baptismo.

Vide addita par. 1. p. 584. n. 16. &c.
4. R. 4. Quamvis conjugatus regulariter nec ad primam

primam tonsuram sit admittendus c. fin. de tempor. ord. in 6. si tamen sacris Ordinibus initiatur, uxore inficia, vel invicta, ordinatio quidem valet; sed ille ab uxore revocatus, tenetur debitum reddere, non tamen petere potest, obstante voto castitatis arg. c. 3. de convers. conjugat. nisi legitimum, & perpetuum inter eos divorcium factum fuisset: quo casu maritus innocens factus initiari potest. 2. Uxor, qua consentiente, maritus factus Ordines suscipit, tenetur emittere votum continentiæ, & si suspecta est de incontinentia, Religionem profiteri, ut dixi tit. de convers. conjugat. motu mariti Clerico in sacris constituto, uxor superstes impeditur a contrahendo matrimonio ob reverentiam Sac. Ordinum *Can. 10. & seq. d. 28. Can. 14. d. 32.* Si tamen consensus illius in ordinatione mariti vi, dolo, aut metu facti extortus est, non ligatur hoc impedimento; ne delictio alieno præparetur.

5. Q. II. *An professio religiosa sollemnis dirimat matrimonium contrahendum, & quo jure*: R. Ad 1. Affirmative: ita conformiter antiquis Canonibus sub anathemate definiti Trid. S. 24. Can. 9. nam professio religiosa est spirituale vinculum cum Christo, & quedam mors civilis; ergo non admittit matrimonium, eodem modo sit valida.

6. R. Ad 2. Professio sollemnis religiosa jure naturali, & divino dirimit matrimonium contrahendum, & conf. nonmero jure Ecclesiastico: ita contra plerofque RR. tenent cum S. D. in 4. d. 38. q. 1. ar. 3. qu. 3. in corp. magni nominis DD. allegati a Sanchez lib. 7. de matr. disp. 26. n. 3. ubi doctor iste solidissimus eandem sententiam tenet, conformiter summario: *Proponitur sententia auctoris n. 3.* licet nonne illam corrigere voluerit, sed sine effectu; uti & *disp. preced.* sententiam propositam n. 7. quæ propria est auctoris, ut patet ex summario n. 7. quas correctiones ante me plures viri hujus auctoris lectores observaverunt. *Proponitur prima pars*: jus naturale dicitur, quod res uni plures, & perfecte tradita, eodemque modo acceptata, non possit iterum valide alteri tradi: nemo enim dat, aut transfert, quod non habet, v. g. titulo justitiæ tradidisti equum emptori, non potes deinde eundem tradere Ecclesie titulo Religionis, aut voti, & contra: sed homo per professionem religiosam pleno, & perfecte modo tradit se Deo, & Religioni, eodemque modo traditio ista acceptatur contractu ultro, citroque obligatorio; ergo de jure naturali valide nequit se tradere uxori; cum amplius liberatum sui corporis potestatem non habeat: tum quia ex naturali rei repugnantia, ut quis eandem rem tradat duobus eundemque jura contraria; sed religiosus professus tradit corpus suum Deo cum jure, & obligatione continentiam, seu abstinendi ab omni actu venereo, etiam licito; ergo non potest corpus suum tradere uxori cum jure contrario, & obligatione exercendi actus conjugales: *Prob. 2. pars* de jure divino *Matth. 19. v. 12.* ubi Christus religiosam castitatem proponens ait: *Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum caelorum*: quibus verbis significatur perpetua inhabilitas ad matrimonium. Hoc jus scriptum magis nobis declarat Verbo Divino traditio: quia nulla existente lege Ecclesiastica, ita semper a principio Ecclesiæ observabatur tanquam a Domino acceptum: unde Siricius Papa *Can. 17. v. velate 27. q. 1.* dicit religiosos matrimonium contrahentes debere separari *Verbo Domini, & Canonica auctoritate*; ergo nonmero jure Ecclesiastico, sed divino, & naturali. Ratio est, quia Christus Dominus instituit statum religiosum segregatum a statu conjugali, ut patet ex *Matth. 19.* ergo annexit ei impedimentum dirimens matrimonium contrahendi; alias unum ab altero non discrevisset. *Confr.* ab incontinenti: si professio religiosa solo jure Ecclesiastico dirimit matrimonium, sequitur 1. quod Papa possit tollere jus istud, & statueret, ne matrimonium dirimatur per professionem religiosam: quod sane discordat cum antiqua Patrum doctrina, ut patet ex Canonibus *caus. 27. q. 1. Sequitur 2.* quod Papa cum religioso in sensu composito Religioso dispensare possit ad matrimonium, cum istud solo jure pontificio incompatibile esset cum statu religioso: sequela autem ista est contra torrentem DD. & apertam definitionem *cap. 6. cum ad monasterium in fin. de statu Monach.* ubi Ian. III. asserit, nec Papam dispensare posse in pauptate,

& castitate religiosa: quæ definitio ad minus intelligenda est de dispensatione in sensu composito Religiosis. Sequitur 3. quod religiosi apostatae in locis hereticorum, ubi pleraque impedimenta matrimonii, jure Ecclesiastico introducta, abrogata sunt, valide matrimonium contrahant: quod falsum esse, praxis continua Ecclesiæ docet &c.

Obj. 1. Jure naturali eadem res modo diverso pluribus tradi potest, sicut servus traditur domino, & uxori; ergo & religiosus, qui titulo Religionis tradidit corpus Deo, potest illud titulo justitiæ tradere uxori. 2. Votum religiosum sollemne vel dirimit matrimonium, ut votum est, vel ut sollemne est? non primum, alias omne votum castitatis dirimeret matrimonium; ergo secundum: sollemnitatem autem votorum ex sola constitutione Ecclesiæ inventa est c. un. de voto in 6. 3. Votum simplex, saltem religiosum in Soc. J. ab intrinseco non differt a sollemni per c. 6. h. t. & Constit. Greg. XIII. incip. *Ascendens Domino*; ubi declarat Scholasticos, & Coadjutores non formatos S. J. esse vere, & proprie religiosos, non secus, ac ipsos tam Societatis, tum aliorum Regularium professos. 4. Olim professio religiosa non dirimebat subsequens matrimonium, *Can. 23. 24. cum seq. 27. q. 1.* ergo impedimentum istud hodie habetur ex solo jure Ecclesiastico.

R. Ad 1. *Dist. ant. modo diverso, hoc est, secundum diversum jus C. a. modo diverso, hoc est, ex causa, & titulo diverso*; N. a. alias qui titulo Religiosis, v. g. ex voto tradidit Ecclesiæ centum florenos, possit deinde illos titulo justitiæ tradere alteri creditori, & titulo gratitudinis tertio benefactori. Est ergo æquivalentio in termino modo diverso: nam si intelligatur præcise causa diversa, seu diversus titulus, falsum est rem uni pleno jure traditam, posse alteri tradi diverso titulo; ut patet ab exemplis allatis, & omnibus causis, seu titulis translatis dominii. Si vero intelligatur diversum jus, verum est eandem rem pluribus tradiposse; sicut uni tradi potest proprietas, alteri dominium utile, aut usufructus, tertio usus &c. Et sic accidit in servo: nam is traditus est domino quoad operas, & effectus civiles dominicæ potestati subiectos; at quoad jus utendi corpore per generationem, non est traditus domino, neque hoc jus subest potestati dominicæ; alias dominus uti posset corpore ancillæ, & domina corpore servi; & ideo servus quoad hoc jus potest se tradere uxori. E contra religiosus quoad jus corporis sui plene, & pro perpetuo per professionem tradidit se Deo, & Religioni titulo Religiosis mixto cum titulo justitiæ ratione contractus ultro, citroque obligatorii, & vi talis juris in Deum translati in radice contraxit obligationem continentiam ut ante probavi; ergo cum jus istud sui corporis non habeat, ex ipsa natura rei, non potest se tradere uxori, & ad actus conjugales primæ traditioni contrarios obligare. Quæ eadem ratio est, cur uni uxori traditus non possit se alteri tradere, quia amplius non habet, quod valide tradat. Dices: Traditus uxori, potest matrimonio consummato de licentia uxoris tradere se Deo per professionem religiosam; ergo traditiones istæ, & vineula sibi non adveniantur de jure naturali, R. N. C. pro nostro casu: nam si uxor remisit jus suum, nulla est repugnantia, cur maritus per professionem nequeat se tradere Deo per professionem. Ita in casu, quo servum dedi Cajo ad usufructum, si is remittat jus suum, possit eundem servum tradere Ecclesiæ ad usum &c. At si professio religiosa præcessit, nulla ad profectum redit potestas corpus suum tradendi uxori, nisi Deus jus sibi questum remitteret, & reddere potestatem corpus suum tradendi uxori: quo casu homo desineret esse religiosus, vel forsitan maneret religiosus in habitu, & mortua uxore, teneretur vota reddere Domino, & ad Religionem redire. Ad 2. dico, quod dirimat, non ut votum in genere, sed ut votum tale in specie, scil. continens perfectam, absolutam, & perpetuam traditionem sui, cum simili acceptance; quæ intrinseca ratio in nullo alio voto reperitur: non in voto simplici, quod promissionem continet sine traditione; & ideo, stante tali voto, valide corpus traditur uxori; non etiam in voto simplici religioso S. J. quia hoc, licet habeat traditionem, non tamen habet traditionem perfectam, & absolutam ultro, citroque obligatoriam, sed præcise conditionatam, quamdiu quis in Societ.

Societ. manserit, & ideo spectato jure naturali (secus de jure pontificio) Scholasticus S. J. valide contrahere possit matrimonium absolutum, non secus, ac ille, qui se tradidit uxori per matrimonium conditionatum, pendente conditione, valide contrahit matrimonium absolutum; quia traditio pura, & absoluta praevalet conditionatae. Solemnitas ab Ecclesia praescripta non constituit ipsam professionem perfectam, sed sunt conditiones extrinsecae necessario requisitae, sine quibus talis professio non ponitur; sicut sine praesentia parochi, & testium non ponitur matrimonium. Ad 3. Neg. a. ex dictis, de qua materia vide meas resolut. Can. tit. de Regular. resol. 3. & Sanchez cit. lib. 7. disp. 25. n. 7. ubi ponitur propria sententia auctoris. Nec doctrina ista obstat cit. cap. 6. h. t. nam votum simplex non minus obligat, quantum ad hoc, quod transgressor alterutrum peccat mortaliter: at in modo obligandi est diversitas; quia simplex obligat ratione promissionis, solemne vero, ratione traditionis; & ideo S. D. 2. q. 88. ar. 7. ad 1. respondet: *votum solemne habet fortiores obligationem apud Deum, quam votum simplex, & gravius peccat, qui illud transgreditur*: & in 4. d. 38. q. 1. ar. 2. docet votum simplex, & solemne differre specie, sicut vegetativum, & sensitivum; quia virtus voti complete est in voto solemni, cum traditione compleatur; incomplete in voto simplici, quia traditione non compleatur; & ideo ligatus voto simplici castitatis valide corpus tradit per matrimonium, licet non licite, agendo contra promissionem Deo factam. Nec doctrina ista periculum affert Constitutioni Gregoriana: nam Scholastici, & Conadjutores non formati ordinatissime Soc. J. sunt vere, & proprie dicti religiosi, quoad genericum conceptum veri religiosi; cum religiosus status consistere possit cum votis simplicibus continentibus traditionem de se stabilem, & ad placitum tradendis non revocabilem; at differunt a professis quoad conceptum specificum, quia vota illorum ab intrinseco non continent perfectam, & absolutam traditionem, & acceptationem utriusque obligationem. Vel, ut alii loquuntur cum P. Sanchez (quod re ipsa in idem redit) idem specie est status religiosus: professi tamen sunt in summo, & perfectissimo status religiosi gradu, & dignitate, consistente in absoluta, & omnimoda traditione completa utriusque obligationis, qualis non reperitur in statu religioso votis simplicibus constante. Ad 4. Neg. a. cum Bellar. & omnibus aliis recte sententibus de statu religioso a Christo instituto, & ab Apostolis, ceterisque fidelibus assumpto; cum inauditum sit in Ecclesia, religiosum professum sua auctoritate valide ad matrimonium transivisse. Nec contrarium probatur ex cit. *canon*. nam tales excommunicantur, donec se dividant, & ad monasteria regrediantur; & ita quoad absolutionem, & alias penas poterit Episcopus cum eis humanitatem facere. Hic tamen observa, quod virgines sacrae, praesertim antiquis temporibus, in duplici classe fuerint; aliae emittebant votum simplex castitatis, etiam habitu, & velamine assumpto, & in privatis domibus habitabant, vel etiam in monasteriis educabantur, vel morabantur, & haec, si fracta fide, nuptias contraxerunt, jubebantur manere cum marito, sicut c. 4. h. t. estque talium virginum frequens mentio apud Patres, & in antiquis canonibus; imo & virorum, qui in claustris morabantur, quin facti fuerint veri monachi. Aliae autem virgines emittebant votum triplex professionis religiose, quam vocamus modo *solemne*; & in his uti etiam in viris professis aliud observabatur; quia contrahentes nuptias separari debebant *sive invitati, sive voluntarii*, & per censuras compellebantur redire ad monasteria, ut ex Apostolo docet S. Gregor. *Can. 2. cum seq. 27. q. 1.* A ceteris argumentis, quae hic obijci solent, abstinere; tum quia levia sunt, & ex dictis soluta manent; tum quia non est mihi propositum disputatorie scribendi. An, & quomodo professio religiosa dissolvat matrimonium contractum, dicam cit. 19. de divort.

7. Q. III. An votum simplex continentia inducat impedimentum impediens matrimonium? R. 1. Votum simplex continentiae antecedens sponsalia, impedit matrimonium licite contrahendum; & conf. sequentia sponsalia etiam jurata, & conf. sequentia sponsalia etiam jurata, vel per copulam firmata, jure naturali reddit invalida: ita ex antiquis canonibus gene-

raliter deciditur c. 4. & 6. h. t. nam spectato jure naturali, res uni promissa nequit valide alteri promitti: sed votens per votum continentiae promittit Deo corpus ab omni actu venereo, etiam licito custodiendum; ergo votens nequit valide alteri corpus promittere per sponsalia; praesertim, cum talis promissio tenderet ad usum conjugalem voto contrarium. Unde sequens promissio sponsalicia est invalida, estque puella voti ignara deflorata sit, quia per istam deflorationem non potest tolli Deo jus ex voto quaesitum: neque ullo jure, aut solida ratione constat, hanc vim, seu privilegium solvendi obligationem voti esse attributum deflorationi. Unde in tali casu, quo deflorata voti ignara immittit damnum alteri non reparabile, quam per nuptias, de alio remedio cogitandum est scilicet utpetatur dispensatio, ad quam petendum dolosus deflorator obligatur. Dicit cum Sanchez, Schmalz, & aliis: votum non obligat, rebus nonabiliter mutatis, ut in hoc casu. 2. Filius, postpositum voto Religionis, tenetur manere in saeculo ad succurrendum patri, & debitor ad satisfaciendum creditoribus; ergo & deflorator tenetur in hoc casu ducere defloratam, non obstante voto; quia obligatio iustitiae est fortior obligatione Religionis. R. ad 1. Distant si mutatio accidat ab extrinseco, vel moralem impotentiam inducat exequendi votum, conc. ant. si accidat ex prava voluntate votentis, neg. ant. alias quisque per delictum vellet se a voto liberare. Ad 2. Neg. conf. quia nec filius, nec debitor in his casibus assumit statum contrarium voto, sed hujus executio tantum differat ob necessitatem; at deflorator assumet matrimonium voto contrarium; quod in praesudicium juris Deo quaesiti illi non licet. Nec tali casu est obligatio iustitiae ad matrimonium; quia sponsalia sunt invalida, licet damnum illatum alio modo reparandum sit; puta per procuracionem dispensationis. In obligationibus Religionis, & iustitiae, servatur *reg. qui prior tempore in 6.* sic enim qui per votum vineam promittit Ecclesiae, licite eam non vendit, & tradit.

8. R. 2. Votum simplex contingentiae consequens sponsalia, parit impedimentum impediens matrimonium, & conf. dissolvit priora sponsalia ex utraque parte: ita S. D. in 4. d. 38. q. 1. ar. 3. qu. 2. Cajet. Avers. Azor. Salmant. & alii contra Sanchez Laym. Zoës &c. licet Sanchez lib. 1. de matr. disp. 46. n. 7. in fin. dicat, sententiam nostram esse probabilissimam, & tutissimam. Prob. 1. iuxta c. 3. & 6. h. t. votum simplex continentiae, si validum est, impedit matrimonium licite contrahendum; sed votum simplex continentiae post sponsalia emissum, est validum, & licitum: tum quia nullo jure invalidatur, vel illicitum redditur; tum quia religiose servari potest, sicut votum castitatis emissum post nuptias; tum quia Papa c. 5. h. t. dispensat in tali voto, adeoque supponit esse validum; ergo tale votum post sponsalia emissum impedit matrimonium licite contrahendum; praesertim cum iura omnia sine distinctione dicant, per votum simplex castitatis impeditur licitum matrimonium: ac proinde Adversariis incumbit onus probandi, quod votum sponsalia consequens alicubi excipiat. 2. Sponsalibus inest tacita conditio: *nisi perfectiorem, & Deo gratiore statum elegero*, arg. c. 2. de convers. conjug. & c. 4. de voto, ubi licet ferno sit de transitu ad Religionem, cjuisque voto, recte tamen dispositio ista intelligitur de statu perpetuae continentiae: tum quia jus ad rem ex sponsalibus quaesitum, non debet impedire statum perfectiorem; siquidem *omnis consideratio non est digna anima continentis* Eccl. 26. tum quia propositum, aut promissum non infringit, qui in melius illud commutat. c. 3. de jurei. tum quia matrimonio rato inest tacita conditio: *nisi Religionem elegero*; adeoque sponsalibus etiam minor conditio inesse credenda est; puta *nisi continentiam elegero*; ergo si post sponsalia votum continentiae emittatur, solvit illa ex utraque parte, ne ad illicitum obligare videantur. Prob. 3. Sponsalibus inest haec generalis conditio: *nisi impedimentum superveniat*, sive tale impedimentum oriatur ex actu malo, sive ex bono, ut ex fornicatione cum foret sponsa, ex assumpto Ordine, ex cognatione spirituali &c. sed votum continentiae est impedimentum matrimonii; quis enim hoc negat? ergo spon-

sponsalia ineuntur sub tacita conditione: *si votum continentiae non superveniat*; ergo si superveniat, non tantum alteri parti dat justam causam resiliendi a sponsalibus, sed etiam sponsalia solvit ex parte voventis. Idem dic de voto suscipiendi Sac. Ordines, quibus in Ecclesia Latina annexum est votum continentiae. His non obstantibus, fateor oppositam sententiam esse valde probabilem, pro qua.

Obj. 1. c. 5. h. t. sponsa voventi continentiam imponitur penitentia, ibi: *sibi de merita fide* &c. 2. Deus nec votum, nec juramentum acceptat in praesudicium tertii c. 28. de jurei. si enim donasti, vel promissisti Titio decem aureos, deinde per votum non potes illos promittere Deo; sed votum superveniens est in praesudicium sponsae. 3. Speciale, & extorrens est, quod sponsalibus inest haec conditio: *nisi Religionem elegero*; ergo trahi non debet ad aliam conditionem: *nisi continentiam elegero*. 4. Si per tale votum solvuntur sponsalia, sequitur quod dispensatur in voto, post matrimonium cum alia inire, sed non, quia per hoc via injustitiae aperiretur.

R. ad 1. Sponsa ista in hoc fuit culpabilis, quod absque justa causa diu disulserit implere sponsalia, & temere provolaverit ad votum, non animo Deo placendi, sed sponsum fraudandi; & ideo penitentia imponi debuit de merita fide, & de attentata violatione voti per aliud matrimonium infringendi. Ex quo capite patet communem opinionem fidelium fuisse per votum continentiae solvi sponsalia; alias puella inutiliter, & sine effectu convolasset ad votum, si eo non obstante, obligata fuisset ad contrahendum matrimonium. Ad 2. N. m. nam sponsus non est jus quaesitum absolute, sed conditionate, *nisi meliorem statum elegero*, vel *nisi impedimentum superveniat*. Quod si per accidens votens causet damnum alteri parti, tenetur illud reparare: & si aliter nequeat reparari, quam per matrimonium, tenetur ad petendam dispensationem voti: quod tutius esse nec adversarii negant. Ad 3. in hac conditione: *si impedimentum non superveniat*, nulla est exorbitantia; ergo recte applicatur nostrum casui. Illa vero conditio: *nisi meliorem statum elegero*, ob excellentem favorem continentiae, & paritatem rationis, censetur comprehensa in c. 4. de voto. Ad 2. N. seq. nam votum continentiae non dissolvit sponsalia, nisi ad effectum servandi continentiam, sicut votum Religionis ab effectu professionis.

9. R. 3. Votum non nubendi reddit sequentia sponsalia invalida, & illicita; quia haec obligant ad aliquid illicitum, voto contrarium. Quia vero tale votum est valde imperfectum, de quo SS. Canones nihil disponunt, facile admitti potest per illud consequens non dissolvi sponsalia anteriora. Si quis cum tali voto matrimonium contraxit, illiciti quidem egit; tamen contracto matrimonio, licite uti potest petendo, & reddendo debitum: nam obiectum hujus voti, scilicet *non inire matrimonium*, transit in impossibile, cum matrimonio sit initum; ergo cessat illius obligatio. Idem probabiliter dic. de eo, qui vovit suscipere SS. Ordines, & post votum contraxit nuptias, quia cessante principali obligatione suscipiendi Ordines, cessat etiam accessoria obligatio continendi. Secus est in illo, qui per se vovit castitatem perpetuam: quia hoc voto obligatur etiam post nuptias, ne debitum licite petere possit, licet obligetur reddere.

10. Q. IV. An votum amplectende Religionis inducat impedimentum licite contrahendi matrimonium? R. 1. Affirmative: nam jus ex Christi institutione non tantum potest sponsalia, sed etiam potest matrimonium ratum cuilibet permittere ad statum religiosum transire, est sponsalia qualificata sint per juramentum, upote accessorium sponsalium, c. 2. 14. de convers. conjug. c. 4. de voto: nam sponsalibus, & matrimonio rato inest tacita conditio: *nisi Religionem elegero*. His non obstat c. 16. de sponsal. nam ibi sponsus nondum plene statuit ingredi Religionem, sed habuit quoddam propositum inefficax, quod Papa vocat *legem privatam*, seu legem complacentiae erga statum religiosum, ut patet ex verbis: *si postea elegerit*: quia vero biennium contrahendo matrimonio praefixum ad finem vergebat, ne fieret perjurus, ideo Papa rescipit, tutius esse matrimonium contrahere, & deinde, si elegerit, ad Religionem transire. Gonz. Suar. &c.

P. Remigia a S. Erasmo, Pars II.

11. R. 2. Vovens ingressum Religionis post sponsalia, etiam jurata, regulariter nequit licite contrahere matrimonium cum proposito ante illius consummationem ingrediendi Religionem: ita Sanchez, & alii contra Ant. de Butrio, Petrum de Ledefina &c. nam ita contrahens exponit se manifesto periculo violandi votum, derogat dignitati voti, & status amplectendi, praesudicium sponsae, quae cogetur esse sine nuptiis, donec ille vel proficiatur, vel e novitiatu egrediat. Excepi, nisi id exigeret damnum puella deflorata, metus admittendae famae, aut vite, vel alia gravis causa: si tamen contraheret, & mutata voluntate consummaret matrimonium, illicite contra votum ageret, cum post matrimonium ratum adhuc poverit voto satisfacere. At impossum licite petit, & reddit debitum, quia materia voti, scilicet ingressus Religionis, evasit impossibilis; ergo cessat obligatio voti, & conf. ea omnia, quae annexa sunt Religioni, uti servare continentiam. Solutum aut matrimonio per mortem, aut divortium perpetuum: reviviscit obligatio voti Religionis, & urget ad ingressum, sicut soluto matrimonio, reviviscit votum continentiae impediens aliud matrimonium; quia vota ista per matrimonium non extinguuntur, sed suspenduntur.

12. R. 3. Votum amplectende Religionis, vel ingressus in novitiatum ex parte ingredientis non solvit sponsalia, nisi secuta professione: ita Henrici Laym. & alii com. contra Navar. Gutier. Sanchez, &c. nam obligatio sponsalium non est impossibilis cum novitiatu, cum nec impossibilis sit cum matrimonio: tum quia si novitiatu solveret sponsalia ex parte novitii, daretur occasio fraudulenter dissolvendi sponsalia per factum ingressum, ergo. At pars in saeculo manens habet justam causam resiliendi a sponsalibus, ut communis tenet contra Covar. Palud. &c. tum quia novitiatum ingrediens, tacite, & ipso facto renuntiat juri quaesito ex sponsalibus; tum quia quasi statum mutat: quae cause sunt sufficientes ad resiliendum a sponsalibus.

TITULUS VII.

De eo, qui duxit in matrimon. quam polluit per adulterium.

Agitur de hac materia in Decreto 31. q. 1. per tot. & 32. q. 4. & 7.

1. Praefens Rubrica est strictior nigro; quia impedimentum criminis, de quo tractatur h. t. non solum oritur ex adulterio, sed etiam ex homicidio alterius conjugis. Est autem hoc impedimentum dirimens; & specificè vocatur impedimentum criminis; licet impedimentum *meius*, & *raptus* etiam ex delictis oriuntur: sed haec servant sua propria nomina. De crimine tantum impediende agetur cit. 16.

2. Q. I. Quibus modis incurrat impedimentum criminis dirimens matrimonium? R. 1. Quatuor modis: duobus quidem ex causa adulterii, & duobus ex causa homicidii. Et 1. si adulteri, vivente conjugaliter, matrimonium de facto iniverunt, c. 5. h. t. 2. Si adulteri promissionem fecerunt futuri matrimonii post mortem alterius conjugis inveniendi, c. 6. 7. & fin. h. t. 3. Si adulterio non commisso, ambo machinantur in necem alterius conjugis cum effectu, seu secuto conjugicidio, c. 1. de convers. infidel. 4. Si commisso adulterio, unus ex adulteris occidat proprium, vel adulteri conjugem, animo cum illo contrahendi matrimonium, *Can. 5. si quis 31. q. 1.* Ratio hujus impedimenti ab Ecclesia introducti est ex parte adulterii, ut secuta sit conjugum fides, amor, & vita, omnique occasio captandae mortis alienae tollatur. Ex parte homicidii, quia atrocitas tanti criminis erga conjugem admissi meretur istam inhabilitatem; tum maxime, quia suppositis his criminibus, turpe, & inhonestum, scandalique plenum est tales personas inter se copulari. Nec obstat factum Davidis occidentis Uriam, & cum adultera Bethsaba contrahentis: nam in vet. testamento non fuit hoc impedimentum, licet in nov. testam. ob dictas rationes recte fit introductum.

3. R. 2. Ut crimen ex adulterio dirimat matrimonium, debet esse 1. adulterium formale, non materiale, propter ignorantiam, vel invaliditatem prioris matrimonii, completum in sua specie, & durante eodem matrimonio consummatum. 2. Debet cum adulterio copulative concurrere, vel matrimonio attuale de facto, vel promisso matrimonii inveniendi post mortem

K alte.

alterius conjugis: & quidem seria, non ficta, sive ista precedat adulterium, sive sequatur, constante priori matrimonio, sive fiat in actu adulterii, dummodo promissio sit expresse acceptata ab altera parte; siquidem tacens in hac materia odiosa non habetur pro consentiente. Et quamvis probabile sit ad hoc impedimentum sufficere promissionem acceptatam sine repromissione adulteri, quia hoc modo est periculum captandæ mortis alienæ; oppositum tamen æque est probabile, quia *fides data*, quæ requiritur, plerumque in iure Canon. significat promissionem mutuum utrinque obligatoriam, *cap. 22. de sponsal. cap. 1. de sponsal. duor. cap. 5. qui Clerici &c.* ergo cum versetur in materia odiosa, *fides data* accipienda est pro mutua promissione, quam sibi faciunt adulteri de matrim. post mortem conjugis in eundo, 3. E contra ex adulterio non iuratur impedimentum criminis, si adulterium sit materiale, vel non completum; vel si copulative desit promissio, vel ista sit ficta, aut remissa, nullo precedente adulterio, licet deinde per accidens sequatur adulterium; vel si promissio sit de matrimonio, vivente altero conjugis, in eundo; vel si promissio facta sit in uno matrimonio, & adulterium in secundo; quia videtur recessum a fide data: ita hæc omnia deducuntur ex Canonibus cause 31. *quest. 1. & cap. 1. 7. fin. h. 7.* & si quæ iura diminutius loquuntur, supplenda sunt ex aliis plene loquentibus, & exigentibus, ut vel adulterium sit cum actuali matrimonio de factoinito, vel adulterium sit cum promissione matrimonii post mortem conjugis in eundo.

4. *R. 3.* Ut conjugicidium mixtum adulterio inducat impedimentum criminis; precedere debet adulterium; alias post eadem copula non est adulterina, tum sequi debet machinatio cum effectu, seu cædes conjugis, etiam ab uno tantum ex adulteris patrata animo in eundo matrimonium cum complice, non vero solo animo liberius exercendi libidinem, *Can. 5. si quis 31. q. 1. c. 6. qui fil. legit. c. 1. 3. 6. h. t. S. D. in 4. d. 37. q. 2. ar. 2. in corp. & alii communiter.* 2. Ut solum conjugicidium inducat impedimentum criminis, requiritur, ut uterque concurrat physice, vel moraliter in necem conjugis, animo contrahendi matrimonium, & cædes re ipsa consecuta sit, *c. 1. de convers. infid. Sola rati habitio*, qua alter ratum habet conjugicidium nomine suo gestum, non sufficit; cum fictio ista nullo iure sit expressa, sicut expressa reperitur de habente ratam percussorem Clerici nomine suo factam *c. 23. de sent. excom. in 6.*

5. *Q. II. Qui ligentur impedimento criminis?* *R. I.* Sola fideles; cum sit tantum iuris Ecclesiastici; ergo infideles non ligat, nisi per accidens, & indireccte, quatenus persona fidelis impeditur contrahere cum infidele ad fidem converso, si adulterium cum eo commisit, facta promissione matrimonii; vel si ab eis conjugicidium patratum sit modo ante explicato, *c. 1. de convers. infidelium.*

6. *II. Qui vivente uxore legitima, contraxit cum alia ignorante ipsam esse conjugatam, post mortem primæ, tenetur renovare consensum, & contrahere cum secunda, si ista velit, cap. 1. & 7. h. t. nam ex una parte non est hic impedimentum criminis; ex altera vero parte decepta per separationem patitur damnum, quod reparari debet per matrimonium habili tempore in eundo. Si tamen matrimonium in eatur cum tertia post mortem primæ conjugis, subsistit, & deceptæ alio modo damnum restitendum est.*

7. *III. Ignorantes ligantur impedimento criminis, ita Moya, & Reiff. Gobat, Schmalz, & communior DD. contra Palud. Major. Pichler &c. nam Sac. Canones 31. q. 1. & h. t. nullam mentionem faciunt de noitia, an quis seiverit hoc impedimentum annexum esse dictis delictis; ergo voluerunt eo ligari sive scientes, sive ignorantes; prout Canones ipsi interpretantur praxis Curiarum tam romanæ, quam aliarum Ecclesiarum, tales personas sine dispensatione non admittent ad nuptias. Ratio est, quia inhabilitates a iure introductæ incurruntur ab ignorantibus, ut patet in irregularitatibus ad Ordines, beneficia &c. sed impedimentum criminis, licet fundetur in delicto, est tamen per se, & principaliter inhabilitas ad matrimonium, sicut alia impedimenta ex crimine orta; ut impedimentum metus, raptus, affinitatis ex copula illicita; quia*

non decet, nec honestum, nec Reipubl. Christianæ expediens est tales personas inter se copulari; cum alioquin in matrimoniis maxime attendatur, quid deceat, honestumque sit, *l. 42. ff. de ritu nupr. ergo. Dicei:* hoc impedimentum est penale, scilicet in penam tanti delicti; pœna autem ignorantem non stringit. 2. Inhabilitatio penaliter obligat eum, qui peccat contra legem, qua *panalem*; sed ignarus pœna non peccat contra legem, qua *panalem*; ergo. 3. Ignorantia facti excusat ab impedimento criminis; ergo etiam ignorantia juris, cum in neutro causa peccetur contra legem ignoratam. 4. Irregularitas ex delicto, privato juris adpendendum debitum conjugale, inhabilitas ad beneficium ex simonia, censura non incurruntur ab ignorantibus, *c. 2. de cons. in 6. ergo nec impedimentum criminis. R. Ad 1.* Dist. ant. est penale occasionaliter, secundario, & in consequentiam, con. ant. primario, & per se, Neg. ant. Hoc impedimentum primario est inhabilitas; quia non decet, nec expedit tales personas copulari; alioquin ignorantia a plerisque poterit posse.

Ad 2. est eadem solutio: nam inhabilitatio ista principaliter est ob indecentiam, quæ in republica christiana tolerari non debet cum magno dispendio honestatis matrimoniorum. *Ad 3.* Neg. conf. nam ignorantia facti excusat ab adulterio, & conjugicidio, & conf. ab impedimento, non vero ignorantia juris circa inhabilitatem constituti. *Ad 4.* Neg. ant. exceptis censuris; nam hæc istæ inhabilitates incurruntur ab ignorantibus; non tamen censura, quæ contumaciam, & conf. scientiam prærequirit. Argumenta ista instantiam contrariam habent in aliis impedimentis ex delicto ortis. Quia vero opposita sententia fati est probabilis, servare potest confessario pro illo casu, quo impedimentum est occultum, & adulteria, vel homicidia in futurum non pendunt.

8. *Q. IV. An impedimentum criminis sit perpetuum, & a quo dispensabile?* *R. ad 1.* Affirmative, ita ut non cesset, etsi complices longo tempore in matrimonio putativo vixerint, & proles susceperint, *c. 5. h. t.* quia diuturnitas peccatum non minuit, sed auget: proliis tamen necessaria alimenta ministranda sunt, *ibid.* ubi corrigantur iura civilia, spurios alii ventania.

9. *R. Ad 2.* In impedimento criminis dispensat solus Papa; quia inferiores non possunt relaxare jus commune. Si tamen est publicum ex conjugicidio ortum, rarissima, & difficillima est dispensatio: & si ortum est ex adulterio conjuncto cum nuptiis, vivente altero conjugis contractis, non dispensat Papa, nisi negotio finito in Officio S. Inquisitionis. S. Penitentiarum in hoc impedimento occulto, si oriatur ex homicidio, non nisi ex urgentissimis causis dispensat, in iuncta penitentia diuturna: facillius autem, si oriatur ex solo adulterio cum promissione; præsertim si complices etiam ignari huius impedimenti.

TITULUS VIII.

De Conjugio Leproforum.

Agitur de hac materia *Can. 25. hi, qui 32. q. 7. & Can. 18. si uxorem. 32. q. 5. & alibi sparsim.*

1. Nomine lepra venit hic omnis morbus horridus, & contagiosus; ut paralytis, epilepsia, morbus gallicus &c.

2. *Q. An lepra sit impedimentum matrimonii?* *R. I.* Lepra antecedens ignorata, vel conquisens sponsalia, dat justam causam resiliendi ab illis; secus si fuit cognita, quia pars altera sibi imputare debet, quod sciens cum leproso contraxerit sponsalia.

3. *R. 2.* Lepra sive antecedens, sive consequens, nec dirimit matrimonium contrahendum, nec dissolvit contractum, *c. 1. 2. h. t.* nam vis ista nullibi attributa est lepræ, aut simili morbo. *Nec obstat. c. fin. h. t. & Can. 18. proposuisti 32. q. 7. nam c. fin. procedit de sponsalibus, quod superveniente lepra, alter non tenetur ad consummandam, seu perficiendam copulam maritalem, quæ constitit in contractu; seu quod non teneatur inire matrimonium. Canon. 18. procedit de infirmitate arduitatis, seu impotentia, ob quam invalidum fuit matrimonium, Bellar. Gonz. & alii: subsidia autem tali mulieri præbenda sunt per restitutionem dotis, vel ex charitate.*

4. *R. 3.*

De Conjugio Leproforum, &c.

4. *R. 3.* Lepra contagiosa est causa sufficiens divertendi quoad thorum, & cohabitationem: nam contractui matrimoniali inest conditio divertendi ob justam causam; qualis est incontinentia proprii individui. Si tamen conjux sanus vel cohabitare, & debitum reddere, id ei licebit; quia in morbis diuturnis periculo infectionis prævalet amor conjugalis; præsertim si adsit periculum incontinentiæ in utroque conjugis. Nec obstat, quod forsitan proles nascetur leprosa; quia huic melius est leprosam esse, quam nullo modo esse.

5. *II.* Si lepra non est contagiosa, pars sana tenetur leproso cohabitare, & debitum reddere: quo sensu procedit *c. 1. & 2. h. t.* quia hic non adest justa causa excusans ab obligatione conjugali; nisi forsitan nimius horror esset in reddendo debito.

Vide novata in Summariis cap. Quoniam 2. hoc eod. tit. par. 1. pag. 336. col. 2. &c.

III. Facta separatione leproforum, utrinque a iudice Ecclesiastico injungenda est continentia, *c. 1. h. t.*

TITULUS IX.

De Conjugio Servorum.

Agitur de hac materia in Decreto 29. *quest. 1. 2. per tot.*

1. In *h. t.* examinatur impedimentum conditionis servilis, quod nunc rarum est; cum servitus legalis apud Christianos fere exspiraverit.

2. *Q. I. Quando conditio servilis dirimat matrimonium?* *R. I.* In unico tantum casu, quo liber ignorans alteram partem esse servituti obnoxiam, contrahit cum illa matrimonio, etsi ignorantia sit modicum crassa: ita *Can. 4. & seqq. 29. q. 2. & c. 2. fin. h. t.* nam licet contractus iste jure naturali sit validus, ut comm. tenet, tamen Ecclesia non voluit eum valere ob justas causas; puta ob inæqualitatem personarum, ob injuriam libero illatam, & proliis inferendam. Quæ assertio locum habet etiam tunc, dum contrahitur cum stultibera; quia tempore intermedio, pendente conditione, & tempore, est ancilla *l. 9. ff. de stultiber.* Convalescit autem hoc matrimonium, si liber, cognito errore servituti, ratificet priorem consensum expresse, vel tacite per copulam *c. 2. & fin. h. t.* quia jure antiquo talis copula præsumitur fieri affectu conjugali: jure autem Trident. si servitus publice innovetur, convalidatio fieri debet coram patocho, & testibus.

3. *R. 2.* Valet matrimonium in seqq. casibus: 1. Si liber scienter contrahat cum ancilla, quia volenti non fit injuria; licet ob vitiatam personam fiat irregularis *Can. 15. d. 34. 2.* Si liber contrahat cum libera, quam putat esse ancillam, vel servum cum ancilla, quam putat esse liberam: quia hic non redditur status deterior ita errantis. 3. Si liber ignarus contrahat cum ancilla, quæ vi collocationis in matrimonium a domino facte consequitur libertatem, *Nov. 22. c. 11.* quod jus non reprobat a sacris Canonibus; quia in ipso contractu ancilla fit libera; adeoque liber non cum ancilla, sed cum libera nuptias inicit, prior vero servitus ignorata non sufficit ad hoc matrimonium invalidandum.

4. *R. 3.* Si matrimonium cum errore conditionis servilis publice contractum est, dissolutio ejus fieri debet auctoritate Ecclesiæ, *arg. c. 2. & fin. h. t. c. 3. de divor.* nam quod auctoritate Ecclesiæ contrahitur, auctoritate ejusdem dissolvi debet. In prævio judicio liber probare debet conditionem servilem, quam ex parte ancillæ asserit: error vero regulariter non probatur, nisi in illo casu, quo talis persona notorie, & communiter habita est pro ancilla; quia quilibet præsumitur scire, quæ communiter nota sunt *lib. 2. ff. & l. 23. Cod. de probat.* Si vero communiter non est habita pro ancilla, ista probare debet, quod liber notitiam habuerit de ipsius conditione servili.

5. *Q. II. Quid juris circa matrimonia servorum cum ancillis?* *R. I.* Talia matrimonia sine consensu domini sunt valida, & regulariter licita: ita decisum est *c. 1. h. t.* quo corriguntur iura civilia, quæ inter servos, præsertim sine consensu domini dicunt esse *conubernia*, non matrimonia, *l. 3. C. de incest. P. Remigii a S. Erasmo.* Pars II.

nupr. Ratio 1. quia servi jure naturali, & divino habent jus liberum contrahendi, & suscipiendi sacramentum matrimonii, tunc ad finem propagationis humane; cum etiam in remedium concupiscentiæ; quod jus, utpote toti nature humane commune, non subditur privatæ potestati dominicæ: ergo matrimonia servorum cum ancillis sunt valida. *Ratio 2.* quia servi utendo jure suo, licite agunt, & nulli injuriam faciunt; licet decens sit, ut requirant consensum dominorum. Dum vero antiqui Canones nuptias servorum dicunt non esse justas, & legitimas, id intelligendum est, non de legitimitate Canonica, sed civili, quatenus non intercedunt pacta dotalia: neque ex talibus oritur patria potestas, nec hæreditas, & successio liberorum: quo sensu explicatur *Can. 11. cum seq. 32. quest. 2. & Can. 9. dicat 39. quest. 4. Can. fin. 29. quest. 2. ibi: per voluntatem dominorum. Dicei:* Professio religiosa est favorabilior matrimonio; sed servus sine consensu domini non potest valide profiteri; ergo nec nuptias contrahere. *R. Neg. conf.* quia professio religiosa non est composibilis cum operis domino debitis; bene vero matrimonium.

6. *R. 2.* Dominus reficiens servum tractare de nuptiis, re integra, ante inita sponsalia, potest servum in remota mittere, aut vendere; quia utendo jure suo, non facit illi injuriam. At si sponsalia sunt inita, non potest eo medio uti: tum quia præjudicaret juri sponsæ, quod independent est a dominio domini; tum quia directè impediret matrimonium, quod ei non licet. Contracto autem matrimonio, servum alio mittere potest; quia non privatur potestate dominica, licet illicitum videatur sine gravi causa servum eo mittere, aut vendere, quo illum uxor sequi non potest, Sanch.

7. *R. 3.* Servi ipso facto tunc consequuntur libertatem, dum dominus eos collocat in matrimonium cum persona libera ignorante eorum servitute, *auth. ad hoc C. de latin. lib. toll.* quia hoc modo dominus fingitur cedere jure suo. At si pars altera scivit conditionem servilem, dominus consentiendo in matrimonium, non præsumitur dare libertatem, nisi ancilla constituit instrumentum dotis, vel servo instrumentum donationis propter nuptias; quæ instrumenta propria sunt hominum liberorum, *l. un. §. 9. C. de latin. lib. toll.*

TITULUS X.

De Natis ex libero ventre.

In *h. t.* qui priori est accessorius, traditur trita regula, quod partus sequatur ventrem, seu conditionem matris quoad statum libertatis, & servituti: unde mater ancilla parit servum, licet pater sit liber, & mater ingenua, vel libera parit liberum; dummodo libera sit tempore conceptionis, vel nativitatis, vel intermedio. De hac materia fusius agunt Civillistæ *lib. 1. Inst. tit. 3. & seqq.* Vide *Can. 3. cum multa 15. q. 8. Can. fin. 32. quest. 4. & cap. fin. de serv. non ordin.*

TITULUS XI.

De Cognatione spirituali.

Agitur de hac in Sexto *h. t.* in Decreto 30. *quest. 1. 3. 4. per tot.* in Trid. *sess. 24. c. 2. de ref. mar.* ubi statuitur jus novum.

1. *Nota* Cognationem in genere esse quamdam propinquitatem personarum; quæ triplex est: *spiritualis, legalis, & carnalis.* De ultimis duabus agitur in seqq. titulis. Hic examinatur impedimentum dirimens cognationis spiritualis ortæ ex baptismo, & confirmatione.

2. *Q. I. Unde oriatur, & quo jure matrimonium dirimat cognatio spiritualis?* *R. Ad 1.* Oriatur ex sacramento baptismi, & confirmationis, non vero ex aliis sacramentis: ita comm. ex Canonibus *cause 30. q. 1. & 3. Trid. sess. 24. c. 2. de ref. mar.* nam baptismus comparatur generationi, seu conceptioni in utero; confirmatio vero nativitati, seu editioni in lucem, adeoque in utroque datur gratia per modum generationis, *R. 2.*

tionis, & nativitatibus in ceteris vero sacramentis datur gratia per modum nutritionis, sanationis, aut reconciliationis; ergo sicut ex generatione naturali oritur cognatio naturalis, ita ex generatione spirituali per baptismum, & confirmationem oritur cognatio spiritualis. Nec obstat Can. 8. & seq. 30. q. 1. nam ex sacramento penitentiae est cognatio valde impropria, quae non habet vim dirimendi matrimonium; licet fornicans cum filia confessionis probabiliter teneatur circumstantiam istam aperire in confessione, S. D. 2. 2. q. 154. ar. 10. ad 2.

3. R. ad 2. Cognatio spiritualis jure Ecclesiastico dirimit matrimonium, & conf. solvit praecedentia sponsalia: ita comm. ex iuribus supra cit. nam hoc impedimentum introductum est ex iustissima causa; quia valde indecens esset paucum spirituale copulati filiae spirituali. Et quia haec indecentia semper durat, ideo hoc impedimentum est perpetuum. Si vero sequatur ad matrimonium, non dissolvit illud, sicut nec alia impedimenta consequentia, ut affinitas &c. privat tamen jure petendi debitum, de quo infra.

4. Q. II. Inter quas personas datur cognatio spiritualis? R. 1. De jure antiquo dabatur inter plures personas: nam hoc jure fuit paternitas directa inter baptizantem, vel patrum, & baptizatum; & paternitas indirecta, quae extendebatur ad baptizantis, & patris uxorem carnaliter cognitam, quae propter unitatem carnis cum marito fiebat etiam mater spiritualis baptizati; vel e contra ab uxore baptizante, vel levante refundebatur ista cognatio in matrem c. 1. h. t. in 6. 2. Fuit maternitas directa inter baptizantem, vel levantem, & parentes baptizati; indirecta vero refundebatur in uxorem baptizantis, & levantis, ut ante dictum, c. 4. h. t. 3. Fuit fraternitas inter baptizatum, & liberos carnales baptizantis, vel levantis, non vero inter alios fratres, & sorores baptizati Can. 4. super quibus 30. q. 3. ubi corrigitur Can. 5. utpote anterior tempore: & ita decidit Alex. III. c. 3. h. t. nisi specialis esset conventio ut inter omnes fratres, & sorores baptizati, & proles baptizantis, aut levantis intercederet ista fraternitas directiva matrimonii, c. 3. h. t. Haec omnia similiter habent in cognatione orta ex confirmatione.

5. R. 2. Jure novo Trid. S. 24. cap. de reform. matr. sublata est paternitas, & maternitas indirecta, uti & fraternitas, & remansit sola paternitas, & maternitas directa, & filialis: unde hodie cognatio spiritualis ex baptismo datur: 1. Inter baptizantem tanquam patrem, & baptizatum tanquam filium, & similiter inter patrum, seu levantem tanquam patrem, & baptizatum, seu levatum tanquam filium: ac proinde baptizatus hodie potest ducere uxorem baptizantis, vel levantis, si quam habuerunt, & mortui sunt. Et haec cognatio vocatur paternitas; vel si baptizans, qui levans est sanguinis, maternitas. Inter baptizantem, & parentes baptizati, vel inter levantem, & parentes levati, quae vocatur, compateritas, & in feminis compateritas, quia sicut genitores sunt patres carnales baptizati, ita baptizans, & levans sunt ejusdem patres spirituales; ac proinde inter se sunt compateres, vel commatres. Nec ultra ad uxorem, vel liberos baptizantis, aut levantis cognatio spiritualis extenditur: unde pater carnalis baptizati, sublato impedimento ligaminis, potest ducere uxorem levantis, aut baptizantis. Haec eadem doctrina servatur in cognatione orta ex confirmatione. Inter ipsum vero baptizantem, & patrum, vel inter ipsos patrum inter se, nec antiquo, nec novo jure aliqua cognatio oritur. Persona istae spiritualiter cognatae exprimitur his verbis. Baptizans, baptizatus, baptizantique parentes, levans, levantis, levantique parentes, confirmans, confirmatus, confirmantique parentes, patrum, confirmans, confirmantique patres.

6. Q. III. Quod sit subiectum cognationis spiritualis? R. 1. Solum fideles, seu baptizati; cum hi soli subiaceant juri Ecclesiastico, Can. 302. de consecr. d. 4. unde infidelis non est capax cognationis spiritualis aeternae, v. g. si baptizet, vel levet ex baptismo: nam qui spiritualiter non est natus, seu filius, non potest esse spiritualiter pater; sicut necdum natus secundum carnem, non potest esse carnaliter pater, S. D. & alii communiter contra Henricum neque etiam capax est co-

gnationis spiritualis passiva, seu compaternitatis, si fideles baptizet; vel levet prolem parentis infidelis, Sanchez, & alii contra Sylv. Rosell. &c. nam passiva cognatio in tantum afficeret infidelem, in quantum activa cognatio a baptizante, vel levante terminatur ad illum; sed tali casu hoc ipso quod in infideli non datur compaternitas, utpote ab Ecclesia introducta, neque cognatio compaternitatis datur in fidelem baptizante, vel levante: nam cognatio ista est reciproca, & conf. si non datur in uno extremo, neque datur in altero; ergo: tum etiam, quia impedimenta restringenda potius, quam laxanda sunt. Dices. 1. Saltem cognatio ista resultat tempore habili, dum infidelis convertitur ad fidem, sicut irregularitas, dum infidelis convertitur ad fidem, sicut irregularitas, v. g. ex bigamia orta, Can. Acquis. 28. q. 3. 2. Impedimentum etiam in directe a fidelem, & indirecte incurrit ab infideli, & dirimit inter eos matrimonium, c. 1. de contr. infid. ergo idem dic. de cognatione spirituali. R. Ad 1. Neg. ant. nam quod ad initio non subsistit, tractu temporis non firmatur, nec convalescit ex reg. 18. in 6. Irregularitas bigamia post baptismum orti potest, quia perseverat defectus significationis: sed qui in generatione non est pater, nec postea erit. Ad 2. Neg. conf. nam cetera impedimenta non sunt ex natura sua relativa, sicut cognatio, sed salvantur in uno impedito; sicut impedimentum ligaminis, impotentiae, & similibus criminis.

7. Q. III. Quae requirantur ad hoc, ut contrahatur cognatio spiritualis? R. 1. In baptizante, & baptizato adulto, praeter intentionem ad valorem sacramenti necessarium nihil speciale requiritur. In confirmante requiritur regulariter ordo Episcopalis, & intentio conferendi sacramentum confirmationis.

8. R. 2. Ex parte patrum requiritur: 1. Ut a parentibus baptizandi designetur unus, vel ad summum unus, & una, Trid. cit. sess. 24. c. 2. de reform. matr. Si nullus a parentibus est designatus, parochus unum designabit: si vero designatio ista omittatur, & plures tangerent, seu levarent baptizatum, probabiliter est, cognationem spiritualem ab omnibus contrahi: ita teste Fagnano fertur declarasse S. Congr. nam decretum Trid. loquitur tantum de illis: qui praeter designatum tangunt; ergo si nullus est designatus, & omnes levant, juxta jus antiquum omnes contrahunt cognationem spiritualem: licet Sanchez dicat nullum ex illis contrahere, ut videtur multipliciter hujus cognationis, qui fuit finis Tridentinae. 2. Ut levans habeat intentionem, saltem implicitam, agendi munus patrum, si patrum intentionem suam restringat ad certum individuum, quod in praxi rarum est, levado alium pro alio, probabiliter non contrahit cognationem spiritualem ex defectu intentionis; secus si, non obstante privato errore, habuit intentionem levandi praesentem personam. In baptismo privato, quia plerumque materialiter tenetur infans absque animo exercendi munus patrum, ratio haec cognatio incurritur; uti nec tunc, quando suppletur coeternonia, quia non levatur infans ex sacro fonte. 3. Ut tempore baptismi patrum infantem teneat; & quidem ordinarie per physicum contractum, nisi alia conventio esset, v. g. ut ipse levans infantem teneat, & tunc sufficere, ut patrum ex manu sacerdotis immediate baptizatum suscipiat, vel saltem eo sine praesente baptizandum, S. Congregat. 1688. teste Petra cum praxi. Respondere autem pro infante, vel alia praeter levationem facere, per se non requiritur in patrum, c. 1. h. t. 4. Ut baptismus sit validus: quod enim nullum est, nullum operatur effectum, c. 8. de jure patr. Si baptismus secundus est conditionatus, contrahitur paternitas, nisi constaret primum fuisse validum. Haec omnia etiam in confirmatione observantur; ubi insuper in patrum requiritur, ut ipse prius sit confirmatus, c. 102. d. 4. de conf. S. Congr. in Licentiis, 13. Jul. 1654. Episcopus tamen, cum non esset confirmatus, contraheret paternitatem; cum in eo sufficere valide conferre confirmationem.

9. R. 3. Patrum per procuratorem levans, sicut Magnates facere solent, probabiliter contrahit cognationem spiritualem: ita Abb. Navar. Laym. Reiff. Schmier, Schmalz, & alii communiter contra Sanchez, Gonz. & alios existimantes cognationem istam, vel a neutro contrahi, vel a solo procuratore. Prob. ex reg.

reg. 72. in 6. qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum; ergo sicut patrum per se levans contrahit cognationem spiritualem, ita quoque levans per procuratorem, eam contrahit: alias sequeretur absurdum contra legem Ecclesiae, quod tali casu nullus sit verus patrum, cum procurator, non suo, sed alieno nomine levans, non sit patrum, & spiritualis cognatus baptizati. Praeterea per procuratorem, contracto matrimonio, etiam contrahitur publica honestas a principali: ergo, & contrahi potest cognatio spiritualis: stat pro hac sententia declaratio Sac. Congregat. 1582. 29. Martii & 1631. 15. Martii teste Clerico. Communis, si eligatur in patrum, unum ex suis designare debet, qui nomine suo patrum agat, & cognationem contrahat, cum communis, ut persona ficta, talem cognationem contrahere nequeat; neque singuli ex communitate, quia Trid. unum, vel unum, & unum designari jubet. Dices. Tangere, levare significant actionem personalem, & physicam; ergo si principalis personaliter non tangat baptizatum, non sit ejus cognatus. 2. Baptizans ex commissione parochi, ille, & non parochus, contrahit cognationem; ergo a pari. 3. Cognatio carnalis contrahitur ex propria actione personali, uti & cognatio legalis l. 25. §. 1. ff. adope. ergo etiam spiritualis. R. Ad 1. Verba ista virificantur de contractu morali, & non semper physico, cum clare ex jure non constet necessario requiri physicum contractum. Ad 2. Neg. conf. nam communitarius baptizans, non parochus, sed suo, & Christi nomine; procurator autem levat nomine principalis. Ad 3. Neg. conf. nam cognationem naturalem ipsa natura, legalem ipsa lex prohibet contrahi per procuratorem; qualis prohibitio non est respectu cognationis spiritualis.

10. Q. IV. Quodnam sit officium patrum? R. Praeter munus levandi, proprium patrum officium est, & de se grave, ut baptizatum instruat in doctrina fidei christianae, saltem in defectum parentum, & magistrorum: & ideo patrum in jure, & a SS. Patribus vocantur fidei doctores, paedagogi spirituales, fidei iustores, sponsores Can. 100. & 104. de consecr. d. 4. Can. 1. diligere 30. q. 3. Unde qui non sunt idonei ad hanc instructionem, neque admittendi sunt pro patrum; ut haeretici, & apostatae, poenitentes publici, moribus infames, excommunicati: & ob speciem rationem Regulares utriusque sexus, ne pretextu cognationis spiritualis extra claustra vagentur, Can. 20. poenit. 18. q. 2. Can. 103. & seq. d. 4. de consecr. nisi religiosus per Episcopatum absolveretur a jure regule.

11. Q. V. An parentes contrahant cognationem spiritualem? R. 1. Si pater in casu necessitatis baptizet, vel levet prolem ex legitima uxore sua susceptam, non incurrit cognationis spiritualis impedimentum, & conf. non privatur jure petendi debitum Can. 7. ad limina 30. q. 1. quia inculpabile iudicandum, quod necessitas inculpat. 2. Si pater extra casum necessitatis baptizet, vel suscipiat prolem suam per probabilem ignorantiam facti, scilicet ignorando esse communem prolem, vel ex sua uxore genitam, excusatur ab hoc impedimento, quia non habuit intentionem baptizandi, vel levandi prolem, ut suam. An vero ignorantia juris illum excuset, dubium est: affirmant multi, quia privatio juris ad petendum debitum est poena, quae ab ignorante non incurritur: negant alii, quia impedimentum cognationis spiritualis est mera inhabilitas propter indecentiam introducta, quae ab ignorante incurri potest. Prior opinio est favorabilior, & probabilior; nam licet cognatio spiritualis antecedens matrimonium sit inhabilitas, tamen ei superveniens est principaliter poena privans jure questio ad petendum debitum. 3. Si pater, sive in, sive extra casum necessitatis baptizet, vel levet prolem ex fornicatione susceptam, incurrit impedimentum dirimens matrimonii cum fornicaria contrahendi: nam iste casus substat generali regule, quae baptizans fit compater cum parentibus baptizati: nec compaternitas ista habet rationem poenae, sicut in priori casu, sed est mera inhabilitas ad contrahendum matrimonium cum commatre, qualem incurrit omnis baptizans, sive solemniter, sicut Clericus, sive privatim baptizet, sicut laicus. 4. Vir prolem ex legitima uxore susceptum extra casum necessitatis baptizans, vel levans, privatur jure petendi de-

bitum conjugale, S. D. in 4. dist. 42. quest. 1. art. 1. in corp. S. Bonav. Sanchez Laym. & alii communiter contra Gloss. c. 2. h. t. Suar. Zoes. Reiff. Schmalz &c. Prob. ex doctrina generali h. t. disponente, ut baptizans, & levans contrahant cognationem spiritualem, & impedimentum ei annexum; sed parentes baptizantes, vel levantes propriam prolem, nullibi excipiuntur ab hac generali dispositione, imo expresse comprehenduntur Can. 1. & seq. 30. q. 1. ubi jubetur separari, non utique quoad vinculum, sed quoad usum thori conjugalis, si ambo rei sunt; alioquin pars rea jubetur manere cum innocente, & cum non fraudare Can. 3. ibid. ergo. Dices. jura antiqua, si contraria sunt, corriguntur per cap. 2. h. t. ubi Pontifex ait, quod sine ex ignorantia sine ex malicia id fecerint, non sint ab invicem separandi, vel ignorantiam unius non sint separandi conjuges, quia ignorantia excusat: fraus veto, & dolus non debet ei patrocinari, qui ex malicia filium e sacro fonte suscepit; adeoque obligatum debitum reddere; an vero petere possit: nihil clare ex hoc capite colligitur. Interim cum sententia ista probabilis, & valde favorabilis sit, utilis erit propterea: licet dispensatio ad petendum debitum sit omnino tutior; quam in casu oculo plerique Regulares dare possunt.

12. Q. VI. Quid dispensare possit in impedimento dirimente cognationis spiritualis? R. Solus Papa, utpote jure conditor; qui tamen in paternitate difficulte, facilius in compaternitate dispensat, adeoque in supplicatione exprimi debet, an dispensatio petatur super paternitate, an super compaternitate.

13. In c. 5. h. t. mentio fit impedimenti cognationis imperfectae ex catechismo ortae, non dirimente, sed tantum impediens, quod dabatur inter catechizantem patrum, & catechizatum, parentem catechizati, dum patrum baptizandum prius instruxit, & pro eo ad interrogata Baptiste respondit. Hoc impedimentum sublatum est a Trid. sess. 24. c. 2. de reform. matr. ita hoc jus consuetudine generali interpretante.

TITULUS XII.

De Cognatione legali.

Agitur de hac materia Can. 1. & pen. 30. q. 3. & §. 1. 2. In de nuptiis & l. 14. 17. 55. ff. de ritu nupt. 1. Hic praetendenda sunt ea omnia, quae in jure civili traduntur de adoptionibus, per quas persona aliena assumitur in filium, vel nepotem: vel perfecte per arrogationem, qua arrogatus transit in familiam, & patriam potestatem arrogantis; vel imperfecte per simplicem adoptionem, quae hodie non operatur effectum patriae potestatis: adeoque nec proprie patrem, nec filium facit, sed tantum adoptato tribuit jus ad intestato succedendi in quarta portione bonorum patris adoptivi Vide rit. Inst. de adop. l. pen. C. cod. Cognatio igitur legalis est propinquitas personarum orta ex adoptione, dirimens matrimonium; non quidem vi juris civilis, a quo introducta est, sed hodie vi juris Can., quatenus cognatio ista a Sac. Canonibus recepta, & approbata fuit.

2. Q. I. An impedimentum dirimens cognationis legalis oriatur ex sola arrogatione? R. Affirmative: ita Innoc. Sylv. Laym. Sanchez cum cit. contra Gloss. c. un. h. t. Abb. Covar. Reiff. Prob. 1. Cognatio legalis fundatur in patria potestate, ita ut adoptio fiat pater, & adoptus filius patriae potestati subiectus, ut manifeste constat ex iuribus supra allegatis: nam licet Sac. Canones utantur termino adoptionis, tamen in ipso sensu loquuntur de perfecta adoptione, seu arrogatione, quae potestatem inducit, & solvi potest per emancipationem Can. pen. 30. quest. 3. & cap. un. hoc rit. ibi: quomodo durat adoptio, ubi necessario intelligitur emancipatio solvens patriam potestatem, & cognationem inter filium naturalem, & filium adoptivum; sed sola arrogatio, non vero simplex adoptio inducit patriam potestatem §. 2. Inst. de adop. ergo. Ratio est, quia impedimentum hoc introductum est partim propter indecentiam; quia non decet, ut ii, qui fictioe civili habentur patres, & liberi, fratres, & sorores, K. 3. inter

inter se copulentur; partim ad vitandam fornicationem, qua intercedere potest inter personas in eadem familia, & domo commorantes; sed neutra ratio procedit in simpliciter adoptato: non prima, quia defectu patrie potestatis non habetur pater, vel filius, vel frater civilis; non secunda: quia simpliciter adoptatus non cogitur esse in domo, & familia adoptantis; ergo impedimentum istud non oritur ex simpliciter adoptione: imo ista neque inducit impedimentum impediens; cum sine claro jure impedimenta non sint multiplicanda.

3. Q. II. Quot sint species cognationis legalis, & inter quas personas matrimonium dirimant? R. Elie tres: prima est in linea recta inter adoptantem, & adoptatum, ejusque descendentes, si quos in patria potestate habet; sicut Augustus adoptavit Tiberium cum Germanico s. per. Inst. de adop. Et hoc impedimentum in linea recta, est perpetuum l. 14. 55. ff. de ritu nupt. quia honestas non patitur, ut aliquando sit uxor, quae antea per adoptionem fuit filia, vel neptis. An vero hoc impedimentum in linea recta extendatur in infinitum, ut probabilior tenet, an vero usque ad quartum gradum, inane est disputare; quia vita hominis tam procul non potitur. Secunda species est in linea transversa per modum fraternitatis inter adoptatum, & liberos naturales adoptantis in potestate constitutos, c. un. h. t. quod desumptum est ex §. 2. Inst. de nupt. & l. 17. ff. de ritu nupt. & hoc impedimentum est temporale, donec patria potestas durat. Unde si filius naturalis, sive filia adoptiva emancipentur, fraternitas definit, & neptis inter eos consistere possunt. ibid. Tertia species est per modum affinitatis in linea recta inter adoptantem, & uxorem adoptati, tanquam inter secerum, & nurum, & e contra, inter adoptatum, & uxorem adoptantis, tanquam privignum, & novercam, l. 14. pr. & §. 1. ff. de ritu nupt. Hoc impedimentum perpetuum est; quia non decet, ut quis uxorem habeat, quae sibi aliquando loco nurus, aut novercae fuit. Ad alias personas impedimentum cognationis legalis non extenditur: unde consistunt neptis: 1. Inter adoptatum, & matrem, aviam, vel sororem adoptantis. 2. Inter adoptantem, & filiam filiae adoptivae, vel filiam illegitimam adoptati; quia nec mater habet patriam potestatem, nec pater respectu illegitimatorum, §. 10. de adop. & consequenter cum matre, aut patre non transeunt in potestatem adoptantis. 3. Inter filium illegitimum adoptantis, & filiam adoptivam, ob eandem rationem. 4. Inter filium adoptatum, & filiam adoptatam, vel inter eorum liberos, etsi omnes essent in potestate adoptantis: nam adoptati, licet cognationem contrahant cum liberis naturalibus adoptantis, quamdiu potestas durat, tamen inter se nullo cognationis vinculo ligantur. Nec obstat, quod in eadem familia morentur, sicut in periculo fornicationis; quia impedimenta ob similitudinem rationis sine jure non sunt ascenda.

5. Q. III. Quis dispense in hoc impedimento? R. Solus Papa: sed in linea recta cognationis, & affinitatis ob magnam indecentiam difficillima est dispensatio: in linea vero transversa non opus est dispensatione, quia per emancipationem unius solvitur hoc impedimentum.

TITULUS XIII.

De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suae, vel sponsae.

Agitur de hac materia in Decreto 32. q. 7. Can. 19. & seq. & Trid. S. 24. c. 5. de reform. matr. ubi statuitur de impedimento affinitatis ortae ex copula illicita.

1. Q. I. An, & quod impedimentum incurrat fornicans cum consanguinea sponse, vel uxoris suae? R. Sponsus fornicans cum consanguinea suae sponse, incurrit impedimentum affinitatis, quod hodie dirimit matrimonium usque ad secundum gradum, & non ultra, Trid. S. 24. c. 4. de reform. matr. quo casu priora sponsalia solvantur propter affinitatem: nuptiae vero cum deforata, si caelebs est, consistere nequeunt, propter obstantis impedimentum publicae honestatis; &

hoc impedimentum affinitatis ex copula illicita adhuc hodie est in usu, ut patet ex cit. Trid. & incurritur etiam ab ignorantibus; quia non tam est pœna, quam inhabilitas ob indecentiam; quia non decet tales personas inter se copulari. Nominè consanguinea venit in hac materia odiosa consanguinea naturalis, non vero legalis ex adoptione; vel spiritalis ex baptismo, aut confirmatione.

2. Alterum impedimentum, quod complex, altero complice vivente, non possit inire matrimonium cum quacumque alia persona per c. 12. de despons. impub. consuetudine contraria abrogatum est; vel sicuti videtur, dispensare in eo potest Episcopus.

3. R. 2. Maritus incestum committens cum consanguinea suae uxoris incurrit privationem juris petendi debitum; reddere tamen tenetur, ne pars innocens alieno delicto gravetur, c. 1. 4. fm. h. t. Hodie hoc impedimentum affinitatis non extenditur ultra secundum gradum per cit. Trid. Ita ut privet jure conjugali, licet cognoscens consanguineam uxoris in tertio, vel quarto gradu teneatur circumstantiam istam aperire in confessione, Sac. Congreg. Conc. & S. Pius V. motu proprio edito 20. Aug. 1566. Et quamvis multi velint privationem juris petendi debitum incurri ab ignorantibus propter naturalem affinitatem, & indecentiam; oppositum tamen etiam videtur probabile, maxime respectu simplicium, licet tunc sit dispensatio, quam plerique confessarii regulares vi suorum privilegiorum impertiri possunt.

4. Alterum impedimentum, ne complices matrimonium inire possint cum quacumque alia persona (inter se enim nequeunt ob impedimentum affinitatis) per Can. 23. concubini §. 2. q. 7. contraria consuetudine abrogatum est.

5. R. 3. Jus statutum de sponso, & marito, etiam procedit de sponsa; vel uxore fornicante cum consanguineo sponsi, aut mariti: nam in hoc casu propter identitatem rationis non debent ad imparia judicari; & de femina idem statuitur Can. 21. si quis viduam 32. q. 7. & Can. 9. si quis 34. q. 2.

6. Q. II. An incestus commissus cum propria consanguinea primi, vel secundi gradus impediat matrimonium cum quacumque persona contrahendum? R. Negative, quia id nullo jure constat: majoritas vero delicti non facit extensionem impedimentorum. Nec obstant antiqui Canones: nam loquuntur de incestuosis contumacibus nolentibus parere monitis Episcopi; & his imponenda est publica poenitentia, qua durante, per accidens impediuntur nuptiae. Can. fm. 35. q. 8. & si qui alii Canones sunt ex causa eadem 94. 6. & 32. q. 2. & 3.

TITULUS XIV.

De Consanguinitate, & Affinitate.

Agitur de his in Clem. un. h. t. in Decreto 35. q. 1. 2. 3. 4. 5. 8. 9. 10. per tot. in Trid. sess. 24. c. 4. 5. de reform. matr. in Institution. lib. 1. tit. 10. in Pantheis sparsim tit. de ritu nupt. in Codice sparsim tit. de nupt. & tit. seq. de incestis, & unil. nupt.

1. In h. t. examinatur duplex impedimentum dirimens, scil. consanguinitatis, & affinitatis ortae ex copula licita.

2. Nota 1. Consanguinitatem dici quasi sanguinis unitatem, eamque accipi 1. Vel stricte, seu civiliter pro vinculo carnali intercedente inter liberos ex eodem patre, & diversa matre natos: quo sensu fratres ex eodem tantum patre nati, dicuntur consanguinei; ex eadem tantum matre merini; ex eodem patre, & eadem matre natigermani. Late, seu naturaliter, quo sensu consanguinitas est propinquitas personarum, quae ab eodem propinquo sibi masculino, aut feminino per carnalem propagationem descendunt. Dicitur: a propinquo sibi, puta, ut ejus gradus in morali estimatione numerari possint; alioquin omnes homines essent consanguinei, quia ab eodem Adamo propagantur. Stripes continetur inura lineam consanguinitatis, sive procedat ab alio, sive a nullo; sicut Adamus, qui suis liberis, & nepotibus fuit consanguineus, & tamen a nullo est genitus.

3. Nota 2. Ex consanguineis alios esse agnatos, qui per lineam masculinam descendunt: alios cognatos, qui descendunt per lineam femininam. Quae differentia hic non attenditur; imo nec in jure civili, cum cognati per omnia exaequati sint agnati, l. 14. 15. c. de legit. hered. Nov. 118. cap. 5. Rursum consanguinei alii sunt naturales tantum, inter quos sola natura vinculum sanguinis inducit citra approbationem legis: cujusmodi sunt consanguinei ex cognatione servili, concubinaria, fornicaria, l. 4. §. 2. ff. de gradib. & affinit. l. 4. ff. unde cognati tit. In de cognat. servili. Alii sunt naturales simul, & legitimi, quorum consanguinitatem a natura inductam lex approbat; uti sunt consanguinei ex justis nuptiis procreati, cit. l. 2. Haec differentia attenditur, quoad successiones, & jura familiae, non quoad matrimonia in eadem: quoniam in contrahendis matrimoniis naturale jus, & pudor inspicendus est, l. 14. §. 2. ff. de ritu nuptiar.

4. Nota 3. Affinitatem quoad nomen esse accessivam ad fines; quia consanguineus mariti accedit ad fines uxoris, & e contra l. 4. §. 3. ff. de gradibus, & affinit. hoc ipso enim, quod maritus, & uxor per copulam fiant una caro, non potest quis esse propinquus uni, nisi etiam propinquus sit alteri, c. 1. fraternitatis 35. q. 10. Affinitas, quoad rem est propinquitas personarum proveniens ex copula carnali perfecta, omni carens parentela, seu communione sanguinis: & per hoc ultimum affinitas differt a consanguinitate, licet per accidens cum ea convenire possit in eadem persona; ut si consanguineus ex dispensatione ducat consanguineam. Ex data definitione sequitur 1. Maritum, & uxorem inter se non esse affines, sed principium affinitatis, seu sibiipsum, nisi per accidens affinis ex dispensatione ducat affinem: nam affinitas non contrahitur, nisi mediante tertia persona. Sequitur 2. Affinitatem non dari, ubi non praecessit copula vera, naturalis, & consummata in sua specie: atque ita non oritur affinitas ex sponsalibus, matrimonio rato, copula praeposterata, vel in qua sola femina feminavit; quia neutra est apta ad generationem prolis. Si vero solus vir consummet copulam, femina non seminante, inde oriri affinitatem dicit Sanchez; negat vero Clericius, & alii ex Can. 18. lex 27. q. 2. ubi desideratur utriusque sanguinis commissio. His praefatis agitur hic 1. De impedimento consanguinitatis. 2. De impedimento affinitatis. 3. De computatione graduum in istis.

Impedimentum Consanguinitatis.

5. Q. I. An, & quod impedimentum matrimonii oriatur ex consanguinitate? R. 1. Consanguinitas in primo gradu lineae rectae, puta inter patrem, & filiam, matrem, & filium, jure naturali dirimit matrimonium: ita communiter sentiunt omnes gentes bene moratae, & Perse contrarium agentes detestantur, tanquam praevicaciteres juris naturalis: nam ille contractus est jure naturali invalidus, qui perpetuum turpitudinem continet, non tantum ab initio, sed etiam in usu, & continuatione; ut patet in contractu usurario, concubinario &c. siquidem jus naturale in se sanctissimum non potest ad aliquid turpe obligare; sed contractus matrimonii inter patrem, & filiam in totum perpetuum continet turpitudinem: nam pater, tanquam principium influens, & dans esse naturaliter, est superior; filia vero accipiens esse naturaliter, est inferior, debens patri perpetuum reverentiam, & submissionem ex praepcepto. 4. Decalogi; cui superioritati, & reverentiae perpetuo adversatur aequalitas, & familiaritas conjugalis, jus in corpus; & maxime ipsa copula carnalis, quam ob ingenium pudorem natura tantopere horret; ut verum dixerit Paulus l. 14. §. 2. ff. de ritu nupt. contra pudorem esse filiam uxorem suam ducere; ergo: tum quia incredibile est, quod Deus auctor naturae permiserit facultatem transferendi jus corporis in eum usum, quem ipsa natura non tantum in hominibus, sed in multis etiam pecudibus horret. Cum vero matrimonium patris cum filia non videatur habere materiam profus immutabilem, & incohectabilem, putandum de absoluta sua potentia posse dispensare in illo. Dices contra assert. 1. In patre, & filia est potentia generandi, cui consensus maritus accedere potest.

est; honor vero potest, a patre negligi, & reverentia filiae remitti. 2. Naturae non repugnat, ut liberi sint aequales, vel Superiores parentibus; ut si filius fiat Rex, Episcopus; ergo ex isto capite non oritur ista irritatio. R. Ad 1. Consensus iste, ad turpitudinem obligans, nullus est, sicut consensus conjugati cum alia contrahentis. Honor, & reverentia, cum non subsint potestati patris, sed ab ipsa natura continuo precipiantur, remitti non possunt. Ad 2. Dist. ant. Superiores superioritate politica, conc. ant. naturali, & privata, neg. ant. Superioritas politica, cum exerceatur nomine reipubl. non contrariatur inferioritati naturali, quam habent liberi respectu parentum; bene vero aequalitas, vel superioritas privata conjugalis.

6. R. 2. Consanguinitas in secundo, & ulterioribus gradibus lineae rectae non dirimit matrimonium jure naturali, v. g. inter avum, & neptem: ita S. D. 2. q. 154. art. 9. ad 3. Cajet. Sanchez. cum cit. contra Bellarm. Laym. & alios docentes irritationem istam extendi in infinitum; & contra alios, qui cum restringunt vigesimo, quarto, vel tertio, aut secundo gradu; & contra Ledesim. docentem eam extendi eoque, quousque durat amicitia eoad proprietates individuales; quas discernere sane est difficillimum. Prob. communio sanguinis, quo iste magis dividitur, eo fit debilior, ut consanguinitatem in morali estimatione fundare nequeat; ergo de jure naturali in infinitum non irritat matrimonium, sed certo gradu concluditur; atque gradus iste est tantum primus inter patrem, & filiam, matrem & filium, non vero secundus, & ultiores; ergo. Prob. 2. pars assumptionis. Sola superioritas, & inferioritas naturalis per se, & ab intrinseco talis, irritat de jure naturali matrimonia consanguineorum, cum in illa sola fundetur honor, & reverentia naturalis; sed in secundo gradu lineae rectae, v. g. inter avum, & neptem non est superioritas, & inferioritas naturalis per se, & ab intrinseco talis: tum quia avus non est principium per se influens, & dans esse nepti, sed per accidens, cum accidat patri habere avum, & ideo nec fertur tanta reverentia erga avum, quanta erga patrem; ergo spectato jure naturali, non irritat matrimonium in secundo gradu lineae rectae, v. g. inter avum, & neptem. Interim tale matrimonium etiam de jure naturali est graviter illicitum ob reverentiam, quam inferior cognatus debet Superiori; ita ut sine gravissima causa honestati non possit. Hoc, & non plus probant argumenta ducta ex §. 2. Inst. de nupt. l. fin. ff. de ritu nupt. tit. C. de incest. nupt. quia reverentia ascendens debita non est tanta, & per se, ut sufficiat ad irritationem matrimonii, nisi in gradu primo lineae rectae.

7. Ex his patet Lev. c. 18. impedimenta expressa non omnia esse de jure naturali irritantia matrimonium, ut definit Trid. sess. 24. Can. 3. de sac. matr. ubi arithmetizantur negantes Ecclesiam dispensare posse in nonnullis gradibus per Leviticum prohibitis. Idem statuitur, c. 8. de divor. nam lex ista Levitici fuit partim caeremonialis, partim judicialis, quae per Christum abolita novam Ecclesiam non obligat. Dices: c. 13. v. opinioni, de restit. spoliat. Papa rescribit, a Sede Apostolica non posse dispensari ad matrimonia in Levitico prohibita; ex quo colligitur, ea esse jure naturali irritata. R. Non potest de cursu ordinario; bene vero extraordinario, si causa gravis urgeat. Neque colligitur irritationem eorum esse juris naturalis: nam nepos prohibetur ibi contrahere cum amita, vel matertera; non tamen neptis cum patruo, vel avunculo, cum tamen sint in eodem gradu; quod signum est, legem istam fuisse positivam divinam, non vero moralem, & naturalem.

8. R. 3. Consanguinitas in primo gradu lineae transversae, puta inter fratrem, & fratrem, jure naturali non dirimit matrimonium; ita S. D. in 4. d. 40. qu. un. ar. in corp. & 2. 1. q. 154. ar. 9. ad 3. subdens: aliae persone, quae non conjunguntur secundum seipsas, sed per ordinem ad parentes, non habent ita ex seipsis indecentiam (sicut parentes, & filii) sed variatur circa hoc decentiam, vel indecentiam secundum consuetudinem, & legem humanam, vel divinam; ubi S. D. impedimentum consanguinitatis extra primum gradum lineae rectae refunditur in jus